



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 7. Iarosii explorantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

est. Inter tot labores vegetum animum, & Barbaris Christo lucrands semper intentum, uterque conservabant: ter tempestate pænè perierunt: è tribus navigioliis, eo quo vehabantur tantùm incolumi, duo cum vectoribus in eorum oculis submersa sunt. Actum agerem, si labores in investigandis per has insulas Barbaris exanthlatis, si rupium arduitatem, si paludosa loca, si sylvarum asperitatem, quibus incedendum erat, rursum hîc scriberem. Sed solatio Sociis erant numerosæ animæ legitimis expiationibus per tot molestias Christo assertæ. Indus nunquam aliàs de peccatis confessus pro mortuo habitus, tactu Iconis Immaculatæ Virginis, Gaspare subministrante, sibi tantisper redditus est, dum antequam verè moreretur peccata expiaret. Augustinum Villazam animarum causâ ad Chunos etiam navigasse, in Nicolai Durandi Provincialis ad Præpositum Generalem litteris invenio: nec dubium quin magno Apostolicorum laborum proventu.

**SUPERIORI** Anno, Argentei fluminis Prætor à Petro Oniato Provinciali impetrarat, ut Petrus Romerus, tractandorum Indorum peritus, è Paranensi missione ducentarum leucarum itinere ad portum Boni-aëris evocaretur, adverso Urvaicâ navigaturus, exploraturusque Urvaicensium animos, & si quidem Jarosii jugum admittere vellent, oppidum novum in ipso fluminis ostio conditurus. Porrò hujus expeditionis arduitatem inde conjectabis, quòd quamvis Urvaicæ ostium ab portu Boni-aëris non longè absit, nullus eò penetrare ausus fuisset. Obstabant variarum linguarum & morum Indi utrumque littus insidentes, & ferocitate negotique commercio contra externos homines se tutantes. Inter eos eminebant Jarosii & Charuæ, avitarum consuetudinum tenacissimi, perpetuò palabundi, sementis regiminisque impatientes, quorum tanta barbaries est, ut in singulorum parentum mortè digiti nodum sibi abscondant, unde plerosque videre est volâ tenus mancos. Ante Hispanorum adventum struthionum, lagopodum, cervorumque venatione, & piscatione victitabant. Nunc multiplicatis boum equorumque gregibus, per latissimos campos equitando vagantur, bovinâ semicrudâ vescuntur, fundâ plerumque uruntur, adeò certâ lethaliqûe jaculatione, ut avem volantem persèpè excipiant, vastaque quorumcumque animalium corpora prosternant. Ubi Petrus Romerus adulto jam anno ad portum Boni-aëris appulit summâ Prætoris & civium aggratulatione, unico Hispano & pauculis Indis remigibus comitantibus, se dat in viam. Quaquâ ibant occurrebant feroces homines, corporibus unctis, cesarie ultra humeros promissâ, membris crebrâ punctione deformatis, & vocum truculentia formidabiles: qui cum sollicitarentur ad humanitatem veramque Religionem capessendam, obstinatè omnes negabant, præter avitos mores, alia sacra se percepturos. Non destitit tamen vir planè Apostolicus ab incepto, donec Guaratorum primos vicos, centum ab Urvaicæ ostio leucis semotos, attingeret, cupiebatque quàm maximè ad eam partem Urvaicensis Provincia penetrare, ubi Rochus Gonsalvius ante quadriennium Conceptionis oppidum fundaverat; sed obstitere Barbari, Romeri remigibus, nî retrocederent, necem intentantes: quare quia nullum ex tot populis Evangelio maturum inveniret, ad portum Boni-aëris, Provinciali suo & Prætori Regio abs se perspecta explanaturus, rediit.

**IN** eo portu Petrus Romerus, Nicolaum Durandum novum Provinciale offendit, cujus missu ad Guaicuræos, ducentarum leucarum itinere, adverso Argenteo Paraquarioque flumine, postliminò rediit. Guaicuræis redditus, pristinas in eâ gente domandâ artes cum Alfonso Rodericio, & aliquamdiu cum Josepho Oregio, strenuè renovavit: quamquam fructus non respondit immensis laboribus, ferocitate gentis egregios Sociorum conatus pertinaciter eludente. Tribus mensibus postquam eò venerat, Guaicuræorum Dux, & ejus mater, magno Barbarorum comitatu, Provinciale Assumptionis Collegium inspicientem convenère, rogantes ne suum popularibus suis conspectum denegaret. Invitandi verò modus is fuit. Præibat femina cantu modulato desideria gentis explicans, multisque verbis significans, quàm gratum & utile foret, si tantus Pater miserrimæ genti se sisteret.

*Periculâ.**Ad Chunos navigatio.*

**CAPUT VII.**  
Jarosii explorantur.

*Jarosiorum mores.**Petri Romeri generositas.**Jarosiorum obstinatio.*

**CAPUT VIII.**  
Guaicuræi excoluntur.

*Guaicuræi Provinciale invitât.*